Fragmentarium

debes facere solummodo pro eterna beatitudine
que intelligitur per dexteram patris. In evangelio
beati mathei legitur quod in die iudicii malos
qui amant laudem mundi ponet ad sinistram
a. et bonos ad dexteram. Sequitur. Ut sit elemo-
sina tua in abscondito. id est intencio tua
sit solummodo coram deo. Non illud quod dicitur vos
gregarius. Sic fiat bonum opus in pub-
lico ut tamen intencio remaneat in
occulto. Sequitur. Et pater tuus qui videt in
abscondito reddet tibi. Quid reddet? Fruc-
tum elemosine. Quem fructum angelus insinuat
in libro tobie qui dicit. Bona est oratio cum ieiu-
nio et elemosina magis quam thesauros
auri condere. quia elemosina a morte libe-
rat. et ipsa est que purgat peccata et facit in-
venire misericordiam et vitam eternam. Iste fructus
tangitur in quadam descriptione elemosine
que dicit sic. Elemosina est res sancta au-
gens bona spiritualia. minuens peccata se-
parans a demonibus. coniungens deo et
angelis. et est quasi murus inexpug-
nabilis circa animam. Sic ergo patet
de tercio opere cui reddit deus pater ce-
lestis mercedem eternam quod est misericordia et compas-
b. sio. ¶ Quartum opus est inimicorum di-
lectio. Ille enim qui inimicos diligit et
eis non nocet cum possit sed eis benefa-
cere paratus sunt filii dei sunt et per consequens
hereditatis eius cum participes futuri sunt.
Et hoc est quod dominus dicit in evangelio beati mathei
Diligite inimicos vestros et benefa-
cite hiis qui oderunt vos et orate pro perse-
quentibus et calumpniantibus vos ut sitis
filii patris vestri qui solem suum oriri facit super
bonos et malos et pluit super iustos et
iniustos. Hec est dicitur. Si vultis celestis
patris filii esse et in hereditate eius celesti
partem habere oportet ut inimicos vestros di-
ligatis et odientibus vos benefaciatis
et pro persequentibus vos scilicet de facto et calump-
niantibus vos id est iniuste maledicen-
tibus vobis et diffamantibus vos scilicet de verbo

oretis. Et sic eritis filii id est imita-
tores patris vestri celestis qui solem suum facit
oriri super bonos et malos id est qui bene-
ficia sua temporalia largitur bonis et malis
dignis et indignis gratis et ingratis
id est recognoscentibus beneficia dei et re-
graciantibus sibi. et tales dicuntur grati.
et non regraciantibus sibi et tales dicuntur ingrati.
Sic ergo eritis filii filii id est imitatores
dei. Apostolus autem dicit quod si filii et heredes.
heredes quidem dei coheredes autem christi. Sic
ergo patet in isto sermone et in precedenti
que sunt illa quatuor opera pro quibus a patre
celesti redditur hereditas eterna. scilicet devota
oratio. carnis maceracio. elemosinarum lar-
gicio. inimicorum dilectio. Et secundum quod unusquisque
in hiis quatuor operibus magis vel mi-
nus exercitatus fuerit. secundum hoc in hereditate
patris celestis maiorem vel minorem por-
cionem habebit. Et hoc attendebat dominus
noster ihesus christus in evangelio cum dicebat. In domo
patris mei mansiones multe sunt. Diversitas
mansionum diversitatem significat premiorum. secundum
diversitatem operum et meritorum. ¶ Patet ergo
in isto sermone et in precedentibus de primo
verbo orationis dominice. id est de pater. quantum licet. scilicet
deus cui nos clamamus pater noster qui es in celis
est pater sex de causis. id est racione creacionis
educacionis. redempcionis. erudicionis. casti-
gacionis et hereditacionis. Rogemus dominum
patrem celestem ut det nobis graciam ita
devote faciendi supradicta quatuor opera
ut nobis detur hereditas eterna. Amen.

Noster. [illegible] super dictum de
secundo verbo orationis dominice id est de
noster. Quod verbum potest appropriari
persone dei patris quia ipse est pater noster solum
respectu creaturarum. sicut filius et persona spiritus sancti.
Primo enim est pater proprie inter personas beate
trinitatis. quia ipse solus in beata trinitate
generavit deum filium sibi per omnia consubstancia-
lem et coequalem et coeternum. Modo videbimus

License: public_domain – Antwerpen, Erfgoedbibliotheek Hendrik Conscience, B 28712:4, fol. 10v – Remigius Florentinus, <i>Tractatus de misericordia</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-g107/9386/69217)